



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

Vtrum accidia sit peccatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

quis status motus odij: sed quia ira inueterata odij A  
causat.

Ad QVINTVM dicendum, quod auctoritates illae loquuntur de inuidia secundum quod est peccatum mortale.

ARTICVLVS III.

Vtrum inuidia sit vitium capitale.

TERTIO queritur, Vtrum inuidia sit vitium capitale. Et vñ q non, quia ad vitium capitale pertinet habere filias: nō autem ad ipsum pertinet q sit alterius filia: sed inuidia est filia superbiae, sicut Aug. dicit in lib. de Sancta virginate. ergo inuidia nō est vitium capitale.

¶ 2. Præt. Inuidia est tristitia quaedam, vt iam dictum est: tristitia aut importat quendam terminum appetitui motus. vbi. n. homo incurrit malā, quod prius oderat, cōtristatur. ergo inuidia non est vitium capitale, quia de ratione vitij capitalis est, quod ex eo omnia alia vitia oriuntur.

¶ 3. Præt. Cuilibet vitio capitali assignant aliquæ filiae: sed inuidia non vñ habere aliquas filias. Assignat enim Greg. in 3o. Moral. in quinque filias, quæ sunt odium, susurratio, detractio, exultatio in aduersis, afflictio in prosperis, quorum nullū videtur esse filia inuidia. Nam odium magis nascitur ex ira, susurratio aut, & detractio, & exultatio in aduersis procedit ex odio, afflictio aut in prosperis vñ esse idem quod inuidia. ergo inuidia non est vitium capitale.

SED CONTRA est, quod Greg. 31. Moral. connumerat inuidiam inter vitia capitalia.

RESPON. dicendum, quod sicut supra dictū est, vitia capitalia sunt, ex quib. alia vitia nata sunt oriri sñ rōnem a causā finalis. Finis hēt rationem boni. Eodem autem modo tendit appetitus in bonum, & in fruitionē boni, quæ est delectatio. Et ideo sicut appetitus ex intentione boni, mouet ad aliquid agē dum: ita et ex intentione delectationis. Est autē cōsiderandum, quod sicut bonum est finis appetitui motus, qui est profectio: ita malū est finis appetitui motus qui est fuga. Sicut. n. aliquis uolens obtinere bonum profectur ipsum, ita aliquis uolens caere malo, fugit ab ipso. Et sicut delectatio est fructio boni: ita tristitia est quædam malitia, sñ quā animus opprimitur a malo. Et ideo ex hoc q homo repudiat tristitiā inducitur ad multa faciēda, p quæ tristitiam repellat, uel ad quæ tristitia inclinat. Sic ergo quia inuidia est tristitia alienæ gloriæ, inquantū apprehendit ut quoddam malum, consequens est, ut hō ex inuidia redat ad aliqua inordinate faciēda contra proximum. Et secundum hoc est inuidia nō vitij capitale. In hoc autē conatu inuidia est aliquid tamquā principij, & aliquid rāquam terminus. principium quidem est, ut aliquis excludat gloriam alterius, quæ eum contristat, quod quidem sit diminuēdo bona eius: siue mala de eo dicēdo, & latēter, qd sit per susurratiōē, & manifeste quod sit per detractiōem. Terminus autē huius conatus pōt considerari dupliciter. Vno quidē modo respectu eius, cui inuidet. Et sic motus inuidia interdū terminat ad odij, scilicet ut homo nō solum tristetur de superexcellētia alterius: sed ulterius uelit simpliciter mala eius. Alio uero mō terminus huius conatus potest accipi ex parte ipsius inuidētis: qui si quidē possit cōsequi finem intentum ut diminat gloriā proximi, gaudet, & sic ponit filia inuidia, exultatio in aduersis: si autem non possit consequi suum propositū, ut scilicet impediāt gloriā proximi, tristita-

tur. Et sic ponitur filia inuidia afflictio in prosperis.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod sicut Gregorius dicit. 32. Moralium, Superbia communis mater est omnium vitiorum. unde per hoc quod inuidia est filia superbiae, non excluditur quin inuidia sit vitium capitale.

AD SECVNDVM dicendum, quod tristitia & si sit terminus in exequendo, est tamen primum in intentione, inquantum scilicet ex fuga tristitiæ multum alij motus procedunt.

AD TERTIVM dicendū, quod nihil prohibet eadem uitia ex diuersis vitij secundum diuersas rationes oriri. Odium ergo nascitur ex ira secundum quod ille, qui ad iram prouocatur, lesionem intulit: ex inuidia autem secundum quod eius bonum cui inuidetur, apprehenditur ut impeditium propriæ excellentiæ. Similiter etiā susurratio, & detractio & exultatio in aduersis oriuntur ex odio, inquantum diminuit omne bonum, & procurat omne malum sui inimici. hæc ex inuidia proueniunt secundum solā rationem remouendi excellentiam. Afflictio autem in prosperis est aliquo modo ipsa inuidia, & quodammodo filia eius, secundum enim q aliquis tristatur de prosperis alicuius inquantum aduersatur singulari excellentiæ alicuius, sic est ipsa inuidia. Secundum uero quod aliquis tristatur de prosperis alicuius ea ratione: quia eueniunt contra suum conatum ad impediendum ea, sic est filia inuidia.

QVAESTIO XI.

De accidia.

In quatuor articulos diuisa.

¶ Primo enim queritur, Vtrum accidia sit peccatum.

¶ Secundo, Vtrum accidia sit peccatum speciale.

¶ Tertio, Vtrum sit peccatum mortale.

¶ Quarto, Vtrum sit peccatum capitale.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum accidia sit peccatum.

QVAESTIO est de accidia. Et primo queritur, vtrum accidia sit peccatum. Et videtur quod non. virtus. n. & peccatum cum sint contraria, sunt in eodem genere: sed uirtus est in genere amoris. Cū ergo accidia non sit in genere amoris, sed magis sit tristitia quaedam, vt Damasc. dicit. uidetur quod accidia non sit peccatum.

¶ 3. Præt. In Psal. sup 3. Cōfitemini, ponit gl. quatuor tērationes, q sunt: error, difficultas vincendarū concupiscentiarum, rēdium, & tempestas seculi. Sed error, & difficultas, & tempestas seculi non sunt peccata. ergo nec rēdiū quod est accidia, est peccatum.

¶ 3. Præt. Oē pētm est ab homine, sñ illud Olee penult. Perditio tua ex te Israel. Sed accidia cū sit qdā tristitia: nō est ab hōie, qā 2. ad Cor. 9. sup illud, Nō ex tristitia aut necessitate. dicit gl. Si cū tristitia facis fit de te, non tu tñ facis. ergo accidia non est pētm.

¶ 4. Præt. non pōt contingere q actus sit simul meritorius & pētm: sed aliquis actus cum accidia factus est meritorius, puta cū aliquis ex uoto uel obedientia ieiunat: & tamen ieiunium ipsum contristat, & sic est ibi accidia, quæ est tristitia de bono spiritali uirtutis. ergo accidia non semper est peccatum.

¶ 5. Præt. Dam. dicit in 2. lib. q accidia est tristitia grauā: sed aggravatio magis vñ esse pena quam culpa. ergo accidia non est peccatum: sed magis pena.

¶ 6. Præt. accidia uidetur esse tristitia, uel tēdiū inter-



Loco citate in arg. 3. D. 304.

Ca. 15. to. 1.

Li. 3. Ortho. fidei cap. 14. Est gl. Aug. super illud, contēctur Domino miserationes eius com. 2.

Glossa ordinaria ibi. ex Aug. super illud, hilare dato rētm.

Li. 3. ortho. fidei cap. 14. Glos. ordi. ibi ex Aug.

ni boni, de quo dicitur in glossa super illud Psal. 106. Om-  
nem escam abominata est anima eorum. Si ergo acci-  
dia sit peccatum, aut est peccatum, quia non accipit spi-  
rituale bonum, aut quia eo spreto accipit corpora-  
le bonum: sed non potest esse peccatum quia non ac-  
cipit spirituale bonum, quia non accipere non est actus,  
sed privatio quadam. Ois autem laus & vituperium  
sequitur aliquem actum, ut Phil. dicit in 1. Eth. vitu-  
perium autem peccato debetur. Restat ergo si acci-  
dia sit peccatum, quod sit peccatum quia profecquitur aliquod  
corporale bonum spirituali contempto. Sed profec-  
cutio boni vult pertinere ad concupiscibile, sicut fu-  
ga mali ad irascibile. ergo videtur quod accidia sit in con-  
cupiscibili, cum magis videatur ad irascibile pertinere.  
¶ 7 Præter Greg. dicit. 11. Mor. quod accidia est inter-  
na metus tristitia, per quam quis minus deuote orat  
aut psallit. Sed non est in potestate hominis, quod de-  
uote oret, ergo non est in potestate hominis, quod  
accidia uideatur. Accidia ergo non est peccatum,  
quia nullus peccat in eo quod uirare non potest.  
¶ 8 Præter Dam. in 2. lib. ponit accidiam speciem qua-  
dam tristitiæ, quæ est vna de quatuor passionibus:  
sed passionibus non sunt peccata, quia secundum eas nec lau-  
damur, nec vituperamur, ergo accidia non est peccatum.  
¶ 9 Præter illud quod eligit sapiens non est peccatum:  
sed accidiam siue tristitiam eligit sapiens. Dicitur  
enim Eccl. 7. quod cor sapientis ubi tristitia, ergo  
accidia siue tristitia non est peccatum.

Lib. 1. c. 12.  
Rom. 5.

Li. 1. ortho.  
fidei c. 14.

Lib. 1. c. 37.  
pari a prim.

2. 3. questio.  
31. art.  
Dama lib. 2.  
cap. 14.  
Grego.  
31. moral. c.  
31. in anti-  
quis, & 27.  
in nouis e-  
xem. ortho.  
Dama lib. 2.  
ortho. fidei  
cap. 14.

Ibi in gloss.  
ord. ex An.

¶ 10 Præter illud quod Deus remunerat non est pec-  
catum: sed Deus tristitiâ remunerat. Dicitur enim  
Malach. ult. ex persona malorum. Quod emolumen-  
tum habuimus: quia custodiimus præcepta eius,  
& ambulauimus tristes coram eo: ergo accidia seu  
tristitia non est peccatum.

SED CONTRA est, quod dicit Grego. 3. 1. Moral. accidia  
inter alia peccata connumerat, & similiter Iudorus  
in libro de Summo bono.

RESPON. Dicendum, quod sicut ex Dam. patet, Acci-  
dia tristitia quadam est, unde Greg. in Moralibus  
loco accidiam quandoque ponit tristitiam. Obiectum  
autem tristitiæ est malum presens, ut Dam. dicit. Si-  
cut autem est duplex bonum, unum quod est uere  
bonum, & aliud quod est apparens bonum, propter  
hoc quod est secundum quid bonum (non enim est  
uere bonum, quod non est simpliciter bonum) ita  
etiam est duplex malum, quoddam quod est uere &  
simpliciter malum, & quoddam quod est apparens & se-  
cundum quid malum, & simpliciter est uere bonum.  
Sicut ergo amor & concupiscentia & delectatio, quæ  
sunt de uero bono sunt laudabilia, quæ autem sunt de  
apparenti bono, & non uere bona, sunt uituperabi-  
lia: ita et odium, fastidium, & tristitia, quæ sunt de eo quod  
est uere malum sunt laudabilia: quæ autem sunt ex  
eo, quod est secundum quid uel apparens bonum &  
simpliciter malum, sunt uituperabilia & peccata. Acci-  
dia autem est tedium uel tristitia boni spiritualis  
& interni, ut Aug. dicit super illud, Psalm. Omnem  
escam abominata est anima eorum. & ideo cum internum  
& spirituale bonum sit uere bonum, & non possit  
esse malum nisi apparens, in quantum. scilicet contrariatur  
carnalibus desiderijs, manifestum est quod accidia  
cum sit tristitia potest dupliciter considerari: uno mo-  
do secundum quod est actus appetitus sensitui: alio  
modo secundum quod est actus appetitus intelle-  
ctui, qui est uoluntas. Omnia enim huiusmodi affe-  
ctionum nomina secundum quid quod sunt actus  
appetitus sensitui passionibus quædam sunt, secundum

verò quod sunt actus appetitus intellectui sunt finis  
ces motus uoluntatis: peccatum autem per se & proprie  
est in uoluntate, ut dicit Aug. Et ideo si accidia  
minet actum uoluntatis refugientis internum & spi-  
rituale bonum, potest habere perfectam rationem  
peccati: si uero accipiatur prout est actus appetitus  
sensitui, non habet rationem peccati, nisi ex uolun-  
tate in quantum. scilicet talis motus potest à uoluntate  
prohiberi: unde si non prohibetur habet aliquam  
rationem peccati, sed imperfectam.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod amor est prin-  
cipium omnium affectionum, ut patet per Aug. 1. 1.  
Ciuil. Dei. Et ideo cum dicitur quod uirtus est  
ordo amoris, est prædicatio per causam non per  
sentiam. Non enim omnis uirtus essentialiter est amor,  
sed omnis affectio uirtutis deriuatur ex aliquo  
re ordinato: & simpliciter omnis affectio peccati  
deriuatur ab aliquo inordinato amore.

AD SECUNDUM dicendum, quod ille modus argumen-  
di non est efficax, non enim oportet, ut quicquid  
dicatur de uero diuidentium aliquid eorum, præ-  
ter de alijs. Illa enim quæ connumerantur ad inueni-  
endum diuidentia aliquid eorum in illo eorum conueniunt  
aut necesse est, quod in quolibet alio. unde illa quæ  
conueniunt in hoc eorum quod est tentatio. Nihil  
rem prohibet, quin unum eorum sit peccatum.  
alia non sunt peccata. Sicut etiam tentatio quæ est  
carne, non est sine peccato: tentatio autem quæ  
est ab hoste potest esse omnino sine peccato.

AD TERTIUM dicendum, quod actus qui sunt ex  
tristitia uel timore, sunt misti ex uoluntario, & inuolun-  
tario, ut dicitur in 3. Eth. Et in quantum habent de inuolun-  
tario non sunt ex nobis. Nam ipse modus tristitiæ est ex  
nobis.

AD QUARTUM dicendum, quod nihil prohibet aliud  
se considerari esse tristabile: quod tamen est delectabile  
secundum quod refertur ad seruitium Dei, unde et de merito  
dicitur in lachrymis feminas, ut Aug. exponit. Nihil  
tristitia passionis est accidia, quia non est de  
interiori bono: sed de exteriori malo. De interiori  
bono non martyres gaudebant. Et tanto illud gaudio  
magis meritum: quanto exteriori malum  
gis contristans. Et similiter si aliquis uoluntario  
piens obedientiam, uel præceptum tristetur de  
quo opere afflictio uel laborioso, tristitia  
est accidia: quia non est de interiori bono, sed  
exteriori malo.

AD QUINTUM dicendum, quod tristitia est esse  
uans, in quantum opprimit affectum, ne inling-  
operandum. Et secundum hoc aggrauatio tristitiæ  
magis, magis habet rationem culpæ quam peccati:  
cuius principium est ex nobis.

AD SEXTUM dicendum, quod irascibilis & con-  
cupiscibilis non distinguuntur secundum prosecutionem  
gam, quia eiusdem potentia est profectus boni  
& fugere malum oppositum: sed distinguuntur  
hoc quod ad irascibilem pertinet profectio uel  
boni uel mali ardui: ad concupiscibilem uero  
cutio uel fuga boni absolute. Et secundum hoc, sicut  
& timor pertinet ad irascibilem ita gaudium ad  
tristitia pertinent ad concupiscibilem. unde  
secundum quod est in appetitu sensitui, est in concupiscibili.  
Nec tamen oportet quod accidia non sit peccatum  
ex eo, quod refugit bonum spirituale: tum quia  
ga est quidam motus appetitus, & non est  
sola: tum quia etiam si esset privatio sola, quæ  
accipere spirituale bonum, hoc et potest habere  
tionem culpæ. Et sic dicitur tunc peccatum omnino

AD SEPTIMUM dicendum, quod deuotio hominis est a Deo: sed secundum quod homo potest se disponere ad deuotionem habendam, vel etiam deuotionem impedire, secundum hanc in deuotio est peccatum, licet in auctoritate inducta non dicatur quod accidia sit in deuotio: sed quod ex ea procedat.

AD OCTAVUM dicendum, quod Damasc. Non loquitur de accidia secundum quod est peccatum prout scilicet est tristitia de bono spirituali in re: sed vniuersaliter prout est de quocumque malo. & ideo loquitur de accidia secundum quod est species passionis, & secundum quod est peccatum.

AD NONVM & AD X. dicendum, quod rationes illa procedunt de tristitia eius, quod est malum simpliciter, quae laudabilis est.

ARTICVLVS II.

Utrum accidia sit speciale peccatum.

SECUNDO queritur, utrum accidia sit speciale peccatum, & videtur quod non. Accidia enim cum sit tristitia, delectationi opponitur: sed delectatio non est specialis virtus. Quilibet enim virtuosus delectatur in actu propriae virtutis, ut patet in 1. Eth. ergo tristitia de bono spirituali non est peccatum speciale.

¶ 2. Præter illud quod consequitur ad omne peccatum, non est speciale peccatum: sed tristitia spiritualis boni consequitur ad omne peccatum. vnicuique enim est tristabile quod est sibi contrarium. Cuiuslibet enim peccato contrariatur aliquid spirituale boni virtutis. ergo accidia non est speciale peccatum. Sed dicendum quod accidia tristat de bono spirituali sub speciali ratione, in quantum scilicet est impedimentum corporalis quietis.

¶ 3. Sed contra, appetere corporalem quietem pertinet ad vitia carnalia. Eiusdem autem rationis est appetere aliquid & tristari de eius impedimento. Si ergo accidia non sit speciale peccatum, nisi quia est impedimentum corporalis quietis, sequeretur quod accidia sit peccatum carnale: cum tamen Grego. ponat accidiam inter peccata spiritualia, ut patet in 31. Moral. non ergo accidia est speciale peccatum.

SED CONTRA est, quod Greg. 31. Mor. connumerat ipsam alijs peccatis. ergo est speciale peccatum.

RESPON. Dicendum, quod si accidia esset absolute tristitia cuiuscumque boni specialis secundum quamcumque rationem, sequitur ex necessitate non esse peccatum speciale: sed quoddam consequens omnia peccata. Ad hoc ergo quod ponatur speciale peccatum, oportet dici quod est tristitia de bono spirituali secundum aliquam specialem rationem. Non autem potest dici, quod ista specialis ratio sit secundum quod est impedimentum alicuius corporalis boni, quia secundum hoc accidia non esset peccatum distinctum ab illo peccato, quod est circa illud corporale bonum. quia per eandem rationem aliquis delectatur in vno, & refugit impedimentum eius: sicut et in rebus naturalibus ex eadem virtute naturali est quod graue deserat superiorem locum, & redat in locum inferiorem. & propter hoc videmus, quod sicut propter gulam aliquis delectatur in cibo: ita etiam ex eodem vitio est quod tristetur de abstinentia cibi. Tamen hoc quod est esse impedimentum boni corporalis, est ratio quare bonum spirituale est contristans: non tamen ratio, quare tristitia de hoc bono sit peccatum speciale. Est ergo considerandum, quod nihil prohibet aliquid in se consideratum esse speciale bonum, quod tamen est communis finis multorum, & secundum hoc charitas est specialis virtus, quia primo & principaliter est amor boni diuini, secundario autem est amor boni proximorum, cuius bonum est finis omnium vel

A multorum aliorum bonorum. Sic ergo aliquid opus alicuius specialis virtutis, puta, castitatis, potest esse amabile vel delectabile dupliciter. Vno modo, secundum quod est opus talis virtutis, & hoc est proprium castitatis. Alio modo, secundum quod ordinatur ad bonum diuinum: & sic est proprium charitati. Sic ergo dicendum est, quod de hoc speciali bono quod est bonum internum & diuinum tristari, facit accidiam esse speciale peccatum. sicut hoc bonum amare facit charitatem, speciale est virtutem. hoc autem bonum diuinum est tristabile homini propter contrarietatem spiritus ad carnem, quia ut dicit Apost. ad Galat. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum. & ideo quando affectus carnis in homine dominatur, falsidit spirituale bonum tanquam sibi contrarium: sicut homo habens gustum insectum, falsidit cibum salubrem & tristatur de eo, si quando oporteat eum sumere talem cibum. Talis ergo tristitia & abominatio seu tedium boni spiritualis & diuini, accidia est, quod est speciale peccatum. unde ad hanc repellendam monet Sapient. Eccl. 6. subijce humerum tuum, & porta illam (spiritualem sapientiam) & ne accideris in vinculis illius.

B AD PRIMUM ergo dicendum, quod delectatio spiritualis boni, & diuini pertinet ad specialem virtutem quae est charitas, secundum illud Gala. 5. Fructus autem spiritus, charitas, gaudium, pax.

AD SECUNDUM dicendum, quod quilibet peccator tristatur de bono spirituali secundum specialem rationem virtutis illius, cui contrariatur suum peccatum: sed secundum rationem boni spiritualis diuini, quod est speciale obiectum charitatis, contristatur de ipsa accidia.

AD TERTIUM patet responsio per id, quod dictum est, contrarietas non quierem corporalem, facit bonum spirituale esse contristabile: non autem facit specialem rationem peccati.

ARTICVLVS III.

Utrum accidia sit peccatum mortale.

TERTIO queritur, utrum accidia sit peccatum mortale, & videtur quod non. Nullum enim peccatum mortale inuenitur in viris perfectis: sed accidia est tristitia quae inuenitur in viris perfectis, ex quo rum persona dicit Apost. Quasi tristes, semper autem gaudentes. ergo accidia non est peccatum mortale.

¶ 2. Præter. Omne mortale contrariatur præcepto Dei: sed accidia non videtur contrariari alicui præcepto, quia inter præcepta decalogi non continetur aliquid præceptum de delectatione. ergo accidia non est peccatum mortale.

¶ 3. Præter. Cum tristitia sit de malo presenti: ut Damasc. dicit in 2. li. de accidia quae est tristitia quaedam, oportet quod sit de aliquo malo presenti, quod quidem sit vere bonum, malum autem apparens, nec potest esse de vere bono, quod est bonum increatum: tum quia presentia talis boni non habet tedium nec tristitiam (dicitur enim Sapient. 8. de diuina sapientia, quod non habet tedium conuersatio eius, nec tedium conuictus illus) tum et quia si sit praesens bonum increatum, non potest esse peccatum mortale. ergo relinquitur quod accidia sit tristitia de aliquo bono creato praesenti.

Auerri autem a bono creato non facit peccatum mortale: sed solum auerri a bono incommutabili increato. ergo accidia non est peccatum mortale.

¶ 4. Præter. Peccatum operis in eodem genere non est minus peccatum cordis: sed recedere opere ab aliquo bono creato specialiter ducente in Deum, non est peccatum mortale. non enim mortaliter peccat quicumque, non ieiunat, vel

Quaest. dist. S. Tho. X quicumque

In solutio- ne praec. 32 in corp. art.

Li. 2. ortho. dist. c. 12.